V. CL. ROBERTO HVRALDO CONSILIARIO REGIO IN MAGNO CONSILIO, LVDOV. RVSSARDVS S.

SI quis ingenio, virtute, eruditione, auctoritate excellẽs deligendus mihi fuit, ad quem iuris cõtrouerſi quæſtiones aliquot ex more maiorum diſputatione publica examinandas mitterem, tu imprimis occurrebas: in quo vno hęc omnia abundarent. Sed ad has tot tantaſque dotes acceſſerũt plurima tua & maxima in me merita: quorum me recens memoria, & hæc & ſi quid grauius eſt quod poſsim, à me tibi deberi quotidie admonet. Accipies igitur has propoſitiones non muneris, ſed debiti titulo: & accipies ab eo homine qui tametſi cum tuis in ſe beneficijs vt paria facere non poſſet effeciſti, perpetuo tamen ſtudio & ſingulari quodam obſeruantiæ genere tibi ſatisfaciet. Vale. Biturigib. Prid. Cal. Iun.

EX L. SI QVIS MAIOR. C. DE TRANSACT.

1 Maiori annis non licet tranſactiones, vel pacta rite confecta impune violare.

2 Etiamſi mulier ſit.

3 Maxime ſi iureiurando per dei omnipotentis nomen vel ſalutem principum concepto cõfirmata fuerint.

4 Violantur autem ſola interpellatione iudicis citra litis conteſtationem.

5 Pœna hac coercentur violatores, vt actione priuentur.

6 Actionem intelligo, quæ ante tranſactionem ex negotio ſuper quo tranſactum eſt competebat.

7 Inter cæteras pœnas notantur quoque infamia.

8 Hinc non efficitur, eum qui per deum peierarit legibus coerceri.

9 Hæ pœnæ ex ſola violatione irrogantur.

10 Ita tamen vt violatam eſſe tranſactionem prius conſtet ac pronunciatum ſit.

11 Quod in tranſactionibus & pactis conſtitutum eſt, ad contractus omnes producendum puto.

12 Minor peccans in hanc legem non punitur eius pœnis.

DISPVTABVNTVR BITVRIGIB. IN SCHOLA IVRIS CIVILIS OCTAVO. ID. IVN.

D. Carolo Agricola ll.
Candidato dd. misit Joã.
Gailing amicitiæ ergo.

9 cal. Julij
Anno d. 60.

67